

354

352

358

et cum fratribus pransus fui. Eodem die venerunt Metonam peregrini de partibus Britanniae, qui per terram sine maris transitu intraverant usque ad terram sanctam in Jerusalem, gyrando pontum Euxinum per longissima itinera, per quae frequenter Judaei ingrediuntur et egrediuntur, et per eam viam exierant usque huc, et ibi per mare navigare in Siciliam intendebant et in Romam. Ad omnem enim plagam a Metona invenit homo navigia, quia est quasi in media via ad omnem terram et mare. Facilis enim est navigatio inde Constantinopolim contra aquilonem, Tyrum, Sidonem in terram sanctam contra orientem, Aegyptum et Africam contra aquilonem [austrum], Siciliam, Italiam, Venetias contra occidentem. Adversante die dato signo tubae ad ingressum galearum, nescio quo negotio circumventus, exitum navium neglexi, conduxi ergo barcam et ad promontoria Sapientiae secutus sum galeas et ingressus sum galeam nostram in cumbam meam, et ita illa nocte ad radices Sapientiae quievimus in mari, sine quiete tamen, propter ventorum impulsum importunum.

Die XVII., quae esto Sapientia juxta calendarium nostrum, erat ventus quidem bonus pro itinere nostro, sed nimis fortis, cui naucleri formidabant classem committere, et diliberabant ibi manere usque ad remissionem venti. Post prandium descendimus in barcam et paene omnes de nostra galea ad radices promontorii Sapientiae navigavimus, et (B) ibi juvenes diversis jocis luserunt, senes vero sedebant et respiciebant vel spatiabantur, delectabilis enim et graminosa planities erat sub monte super maris littus, et arduus ac altus ascensus per petras et rupes sursum in promontorium. Dimisimus ergo nos peregrini populum ludentem et sursum in altum cum labore magno ascendimus in culmen promontorii et ibi longe lateque per mare circumspeximus in provinciam Achajae, cumque per horam in monte moram fecissemus, descendere incepimus, et dum paululum descendissemus et in arbusta et scabrosa loca venissemus, subtraxi me a sociis et in promontorii cacumen reascendi, ut solus essem ibi, propter causam jam subjungendam. In ipso enim descensu venit mihi in mentem de dicendis vesperis, quia hora vespertina aderat, et cum inspexisse calendarium, et o. Sapientiam vidisse, dixi mihi: has vesperas, aeternae Sapientiae laudes, non nisi in monte Sapientiae dicere convenit; sive reascendi et totas vesperas per me cantavi sine

348

363

343

403

303

453

253

Ende

Anfang

